

DANIAE, SCHOLANDIAE, NOR-  
uegiae, Sueviae, & Filandiae noua Tabula,

Sextadecima additarum, & 25. in ordine.



**H**ÆC Regio parum ab antiquis cognoscebatur, propterea quod extenditur in tabula usque ad 72. gradus latitudinis. antiquorum autem cognitio terminabatur ad altitudinem poli 63. grad. ijs tamen notum erat ibi esse terram, sed ignota eorum ætati permansit: imo eam inhabitatam, aut à rusticis hominibus & beluas imitantibus habitari existimarunt. Hæc igitur Tabula continet Daniam, Scholandiam, Noruegiam, Sueciam, Filandiam, aliasque septentrionales regiones, quæ quidem omnes sub Scholandia nomine habentur. Land apud huius regionis populos significat id, quod terra apud nos. Scholandia significat Amoenam terram. sic autem uocatam esse ferunt ob fertilitatē eius, & portuum cōmoditatem; quoniam in ea optima Pabula ad Equos, Boues, Pecora, aliaq; animalia alenda conspiciuntur. extant etiam Piscationes, Venationesque ingentes, & omnium Metallorum fodinæ. Noruegia sonat Septentrionalem uiam. Gothia sonat bonum, & Gotlandia bonam terram: hæc plurimas habet urbes insignes, quales sunt Liacopia, Malmogia, Sudercopia, Calmar. partitur hæc prouincia in Gothiam, Ostrogothiam, & Westrogothiam. Suetia est regio ditissima auri, argenti, aliorumque metallorum. Ciuitas regia eius est Stochholm. Finlandia significat pulchram terram. Grolandia sonat Virentem terram. Islanda interpretatur glaciale terram. est Dania sic dicta à Dano rege. extat Cimbrica peninsula, Fionem, Selandia, Lalanth, & Faster insulæ. Ab Hinc Gothi, & alij populi, qui Italiam, reliquasque Europæ partes desolarunt, ortum habuerunt. Scripserunt huius regionis historiam Ioannes, & Olaus magnus fratres Gothi. Maiores dies sub extremis, & medio parallelo. huius tabulæ, Mores. habitus, & cætera, in sequenti explicabuntur.